



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiae, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...


De Ivstitia Et Contractibvs

**Vindalium, 1646**

Cap. V. De obligationibus iustitiæ, quoad restitutionem in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38850**

deo ex communi sententia, non opus esse ut contractus illi explicitè ineantur, sed satis esse quòd fiant virtualiter, seu intentione implicita. Vnde excusantur, qui hoc modo societatem cum mercatore incunt: confero centum in societatem, ut saluo capitali, solvas quinque modo licito: quia scilicet intentio implicita idem operatur quod expressa, ut aiunt Iuristæ.



## CAPUT V.

*De obligationibus iustitiæ, quoad restitutionem in genere.*

## SECTIO I.

*Quid sit restitutio.*

## CONCLUSIO VNICA.

**R**estitutio est actus Iustitiæ commutatiuæ, isque ad salutem necessarius. ) Antequam hoc proberetur, Notandum est, nomen restitutionis sumi dupliciter. I. latè pro omni actu quo redditur

DE IVS TITIA. CAP. V. 101  
alicui, quod ab eo ablatum, vel acceptum  
est, siue iure, siue iniuria; quomodo red-  
ditio mutui, pignoris, depositi, &c. actus  
restitutionis dici potest. 2. strictè pro eo  
solum actu, quo damnum proximo iniu-  
stè illatum restauratur; quomodo in hoc  
tractatu sumi solet. Hoc posito.

Prior pars Resolutionis positæ proba-  
tur ex S. Thoma 2.2. quæst. 62. art. 1  
quia in restitutione attenditur æqualitas  
iustitiæ, secundum recompensationem rei  
ad rem, quod pertinet ad iustitiam com-  
mutatiuam. Nec refert quod dicunt ali-  
qui, restitutionem quâ iniqua distributio  
compensatur, non esse actum iustitiæ cõ-  
mutatiuæ, sed distributionem: hoc enim  
falsum esse constat ex responsione ad 3.  
quia etiam in tali restitutione, attenditur  
æqualitas rei, ad rem iniustè subtractam.

Posterior pars sumitur ex art. 2. pro-  
baturque hac ratione, quia non tantum  
qui rem alienam accipit, sed etiam qui  
inuito domino retinet, iustitiæ æqualita-  
tem violat. Quare sicut necessarium est  
ad salutem abstinere ab acceptione rei alie-  
næ, ita & abstinere ab illius retentione,  
quod est eam restituere. Quo refertur  
celebre illud dictum August. epist. 54.  
ad Macedonium, Non remittitur pecca-  
tum nisi restituatur ablatum, si restitui  
potest.

Notandum tamen 1. hæc intelligi de sola necessitate præcepti: si enim agatur de necessitate medij, omnes communiter sentiunt, restitutionem sic non esse ad salutem necessariam: cum possit homo variis de causis excusari à restitutione facienda, vt infra dicitur, adeoque saluari etsi non restituerit: nec tamen quis saluari possit, eo prætermissio quod est necessarium ad salutem, necessitate medij: vt liquet ex dictis, vbi de sacramentis.

Notandum 2. ex art. 8. in respons. ad 1, præceptum de restitutione facienda, quamuis secundum formam sit affirmatiuum, implicare tamen in se negatiuum præceptum, quo prohibemur rem alterius retinere. Et ex quæst. 66. art. 3. ad 2. detinere id quod alteri debetur, eandem rationem nocementi habere, cum acceptione iniusta. Et ideò sub iniusta acceptione intelligi etiam, iniustam detentionem. Vnde collige, præceptum negatiuum de non retinenda re aliena, reduci ad præceptum non furandi.

Quæret hic aliquis, ex cuius virtutis violatione oriatur obligatio restituendi. Respondeo 1. non oriri ex violatione aliarum virtutum, quæ distinguuntur à iustitia: siquidem etsi eiusmodi virtutes violentur, non propterea violatur ius

DE IVSTITIA. CAP. V. 103  
alterius, aut res aliena vsurpatur. Vnde  
ex communi sententia, qui cū deberet  
ex charitate, proximo indigenti non  
succurrit, non tenetur ad restitutionem  
damni inde sequuti.

Respondeo 2. obligationem illam  
oriri ex violatione iustitiæ commutati-  
uæ; quia quando iustitia commutativa  
violatur, semper aliquid detrahitur al-  
teri, quod suum est. Quoties autem id  
contingit, debet fieri restitutio rei alie-  
næ, vt sic constituatur æqualitas iustitiæ.  
Vnde fur tenetur rem furto ablatam re-  
stituere, si extat; aut secus, æquiva-  
lentem.

Respondeo 3. ex iustitia quoque di-  
stributiva oriri obligationem restituendi,  
quia restitutio tunc facienda est, quando  
damnum aliquod alteri iniuste infertur.  
At damnum iniuste infertur alteri, quan-  
do iustitia distributiva violatur, id est,  
quando bona communia, quæ partibus  
communitatis erant distribuenda, non  
distribuuntur æqualiter, secundum pro-  
portionem geometricam: sic enim ei  
datur minus, cui plus debebatur, seu qui  
ius ad maiorem portionem habebat,  
quod planè iniustum est.

Nec refert, quòd bona illa nondum  
essent in singulos ciues distributa; cū

enim essent ipsi communitati appropriata, eo ipso saltem in confuso, & indeterminatè particularibus (erant appropriata. Quare sicut distrahens, hæreditatem nondum diuisam, iniuriam facit hæredibus, & tenetur ad restitutionem; ita malè dispensans bona communitatis, quæ in partes illius erant distribuenda, tenetur ex iustitia restituere, pro rata damni singulis illati. Quanquam eiusmodi restitutio non est actus ipsius iustitiæ distributiuæ, sed commutatiuæ, ut supra dictum est.

---

## SECTIO II.

*Ex quibus oriatur obligatio restituendi,  
& qui teneantur restituere.*

### CONCLUSIO I.

**T**Ria sunt capita, ex quibus oritur obligatio restituendi. 1. ex re accepta. 2. ex iniusta acceptione. 3. ex utraque. ) Hoc ita declaratur, obligatio restituendi oritur ex re accepta, quando quis habet rem alienam, quam bona fide putabat suam. Ex iniusta verò acceptione, quando quis rem alterius, quam amplius non habet, via iniusta ut pote furto,

DE IUSTITIA. CAP. V. 105  
vfura, &c. occupavit. Ex utraque autem,  
quando quis rem iniuste acceptam, apud  
se retinet. Ratio horum est, quia iis  
omnibus modis violatur æqualitas, quam  
iustitia commutativa exigit.

Quæres 1. an qui bona fide rem alie-  
nam possidet, teneatur eam restituere,  
cum primùm novit non esse suam. Res-  
pondeo affirmatiuè, quia aliàs posita  
eiusmodi cognitione, rem alienam reti-  
neret invito domino, adeoque peccaret  
contra iustitiam. Confirmatur, quia iam  
inciperet esse possessor malæ fidei, nisi  
statim restitueret. Vnde fit vt teneatur  
rem domino restituere, non exigendo ab  
illo pretium quo eam emit; quia sicut  
nec retinendi ius vllam habet, ita nec  
pretium ab illius domino exigendi;  
quamuis à fure illud possit repetere.

Quæres 2. quid restituendum sit, quan-  
do res prædicta bona fide consumpta est.  
Respondeo, eum qui ita eam consumpsit,  
non teneri ad restituendum nisi id, in quo  
locupletior factus est: quare si in nullo  
ditior factum est, ad nihil tenetur. Et  
ratio est, quia in eo casu, possessor bonæ  
fidei non tenetur rem restituere, ratione  
iniustæ acceptionis; cum bona fide eam  
possederit, & consumpserit, adeoque sine  
iniustitia; neque etiam ratione rei accep-

E S

tæ, cum ea non amplius existat, vel aliquid ex illa. Effet tamen obligatio restituendi, ratione rei acceptæ, si consumens inde locupletior factus esset: quia haberet iam in bonis suis, amplius quam deberet habere.

Porro ille dicitur factus locupletior, qui quibusdam sumptibus pepercit, quos alioqui ex re sua fecisset, seu qui aliquid habet, quod aliàs non haberet. Secus verò si nihil tale habeat. Vnde fit ut possessor bonæ fidei nihil teneatur restituere, quando res aliena omninò periit, siue casu, siue etiam ipsius culpa. Cum non teneatur ratione iniustæ acceptionis, aut detentionis, quia acceptio, vel detentio iniusta non fuit; nec ratione rei acceptæ, quia hæc nec in se extat, nec in æquiualenti, cum illius occasione ditior factus non sit. Hinc etiam fit, eum verbi causa qui bona fide equum alienum emit, & vèdidit æquali pretio, ad nullam teneri restitutionem. Si autem pluris vendidit, teneri tantum ad restitutionem excessus pretij. Et similiter eum qui ad cœnam inuitatus, cibos magni pretij furto ablatos, bona fide comedit, teneri tantum ad restitutionem summæ, quam expendisset, si domi cœnasset. Quia quoad hoc tantum, locupletior factus est.



Quæres 3. quid dicendum sit, quando dubitatur, an res sit aliena. Respondeo  
 1. eum qui re aliena bona fide accepta, dubitare incipit esse alienam, debere sufficienter inquirere, an verè sit aliena.  
 2. sufficienti inquisitione facta, si non comperit esse alienam, posse eam retinere, aut vendere: quia in dubiis melior est conditio possidentis. 3. dum verò sit inquisitio, non posse ea uti, si res sit usu consumptibilis, vt vinum, triticum, &c. si verò usu non consumitur, posse ea uti, modo intendat usus pretium soluere, casu quo comperiat rem esse alterius. 4. si posita sufficienti diligentia, res bona fide, non comperto domino consumpta est, eum non teneri, nisi ad eius restitutionem, in quo ditior factus est, etsi postea constet quis sit illius dominus. 5. si verò superueniente dubio non adhibuit sufficientem diligentiam, ad veritatem inquirendam, teneri non modo ad restitutionem rei, si extat, vel si non extat eius in quo factus est locupletior, sed etiam ad restitutionem omnium fructuum, quos post dubium percepit; quia ex eo tempore mala fide, & iniuste possidere cœpit. 6. Imò probabilius esse, possessorem malæ fidei teneri, non modo ad restitutionem fructuum, quos ex re aliena:

percepit; sed etiam eorum omnium, quos dominus ex ea percepisset, nisi ipsi, iniquè ablata, aut detenta fuisset: quia cum iniuste alicui damnum illatum est, ratio postulat ut ille tunc omnino indemnis seruetur.

CONCLUSIO II. Ille maxime restituere, tenetur, qui ut causa principalis alteri damnum infert, ut fur, homicida, usurarius, &c.) Hoc nimis perspicuum est, supposito quod detur præceptum restituendi. si enim damnum resarciendum est, æquitas maxime postulat, ut ab eo qui illud re ipsa & nemine mandante intulit, resarciatur. Verum cum alicui damnum inferri possit, vel extra contractum, ut mutilando, occidendo, &c. vel præsupposito contractu, ut perdendo res per contractum commodati, depositi, &c. acceptas.

Quæres I. quale peccatum requiratur, ut quis teneatur restituere, ob damnum quod extra contractum illatum est. Respondeo I. ut sit obligatio restituendi ob tale damnum, requiri culpam aliquam Theologicam, seu quæ verum peccatum coram Deo sit. Ratio est, quia ex illato damno nunquam oritur obligatio restituendi, nisi qui illud patitur, rationabiliter sit inuitus: at non est

rationabiliter inuitus, quando damnum ex ignorantia inuincibili, aliaue causa inculpabili ei infertur. Quia aliàs posset rationabiliter velle, vt quis teneretur non inferre damnum, quod interdum non potest non inferre; quod planè absurdum est. Hinc constat, eum non obligari ad illati damni compensationem, qui hominem occidit putans inuincibiliter esse feram.

Respondeo 2. vt ob damnum prædictum oriatur restituendi obligatio, non requiri peccatum mortale, sed veniale sufficere. Hæc enim iam est formalis iniustitia, & qui damnum patitur, rationabiliter est inuitus: cùm voluntariè ei inferatur. Quare tale damnum ex iustitia resarciendum est.

Vbi nota 1. duplicem esse culpam venialem, aliam ex leuitate materiæ, aliam ex imperfecta rationis aduertentia, etiam circa materiam grauem. 2. quando in damni illatione committitur culpa venialis, priori modo, ex ea non oriri obligationem restituendi, nisi sub veniali. Quando verò venialiter peccatur posteriori modo, non esse quidem obligationem restituendi, nisi sub veniali, quandiu imperfecta rationis aduertentia durat: at quando quis plenè aduertit, se

damnum graue alteri intulisse, esse tunc obligationem satisfaciendi; sub mortali.

Quæres 2. quæ culpa requiratur, vt debita sit restitutio ob damnum, ex præsupposito contractu illatum. Antequam respondeatur. Nota 1. contractus quibus dominium non transfertur, esse triplicis generis: quidam enim cedunt plerumque; in vtilitatem solius dantis, vt depositum, quidam in commodum solius accipientis, vt commodatum; quidam denique tam danti, quam accipienti vtilitatem aliquam afferunt, vel locatio & conductio.

Nota 2. apud Iurisperitos mentionem non raro fieri culpæ latissimæ, latioris, latæ, leuis, & leuissimæ. Latissimam vocant. dolum apertum; latiore, dolum præsumptum; latam verò culpam dicunt contingere, quando aliquid fit aut committitur, quod homines eiusdem conditionis non solent facere, vel committere; leuem, quando fit vel committitur, quod diligentiores non facerent, vel omitterent; leuissimam denique, quando quis facit, vel omittit quod à diligentissimis non fieret, aut prætermitteretur. Quibus prænotatis.

Respondeo 3. nullam esse obligatio-

nem, compensandi damnum, ex præsupposito contractu fortuito ortum. Ratio sumitur ex dictis, quia casus fortuitus, cum sit euentus inopinatus, quem humana prouidentia præuidere, vel impedire non potuit, absque culpa euenit; atque adeò de eo nemo teneri debet.

Excipe 1. nisi culpa præcesserit casum, ut si equus commodatus ad iter faciendum versus Lugdunum, ducatur Tolosam, & in eo itinere rapiatur à latronibus; uel alio casu fortuito pereat. 2. nisi intercedat culpabilis mora, & interim res deterior fiat, aut pereat apud commodatarium. Dicitur autem esse in mora adimplendi contractum, qui à die, vel ab homine interpellatus seu monitus, cum non adimplet, cum possit, & teneatur adimplere. 3. nisi ex pacto se expressè obliget ad casum fortuitum, de quo tamen non tenetur, etsi generatim se obliget ad omnem casum: quia casus fortuitus cum extraordinariè contingat: non censetur contineri in verbis generalibus.

Respondeo 2. in contractibus, qui sunt in gratiam solius accipientis, istum teneri etiam de culpa leuissima; quia æquitas non patitur, ut qui sine vlllo suo commodo, rem suam vtendam alteri tribuit dam-

num sentiat ex illius culpa quantumuis leuissima. At in contractibus qui sunt tantum in gratiam contrahentis, accipientem non teneri de culpa lata. Quia cum accipiens nullum emolumentum inde percipiat, satis est quod teneatur in re aliena custodienda, eam diligentiam adhibere, qua quisque res proprias similes conseruare solet. Hoc autem est teneri de culpa lata, ut constat ex dictis. In contractibus verò qui in bonum utriusque redundant, accipientem teneri de culpa leui, non de leuissima. Quia ex vna parte, cum accipiens, emolumentum percipiat, æquum est ut magis obligetur, quàm in secundo casu; sicque teneatur non tantum de culpa lata, sed etiam de leui. Ex alia verò, quia etiam id vergit in commodum dantis, ratio postulat ut accipiens non teneatur de culpa leuissima, ut in primo casu.

Moneo tamen, eum qui rem accepit precario ex iure positiuo teneri tantum de dolo & culpa lata; quia cum res precario, id est ad usum petenti concessa, ad arbitrium donantis reuocari possit, ille sibi debet imputare, si accipiens in ea custodienda leuem culpam committat. Cum econtrà in commodato, quia res datur ad certum usum, & tempus, teneatur

D'E IUSTITIA. CAP. V. 113  
tur commodatarius de culpa leui, & le-  
uissima.

CONCLUSIO IV. Cooperan-  
tes ad damnum quod alicui infertur, te-  
nentur restituere.) Vt hoc probetur. Nota  
1. cooperantes duobus his verbis relatis  
à S. Doctore 2. 2. quaest. 62. art. 7. com-  
prehendi.

*Iussio, consilium, consensus, palpo, re-  
cursus,*

*Participans, mutus, non obstans, non  
manifestans.*

Nota 2. dubium esse, vtrum omnes  
praedicti modi cooperationis ad dam-  
num, obligent ad restitutionem. S. Tho-  
mas loco mox citato docet 2. quinque  
ex illis semper obligare, nempe in pri-  
mis iussionem, quia cum is qui iubet, sit  
principaliter, mouens, ille maximè te-  
netur restituere. Secundò, Consensum, in  
eo scilicet, sine quo rapina fieri non po-  
rest. Tertio, Recursum, quando nimirum  
aliquis est receptator latronum, eisque  
patrocinium praestat. Quarto, Participa-  
tionem, quando scilicet aliquis partici-  
pat in crimine latrocinij. Quintò, Non  
oppositionem impediendi, in eo qui te-  
netur impedire. Docet. 2. in aliis casibus  
enumeratis, non semper esse obligatio-  
nem restituendi. Non enim semper con-

filium, vel adlatio, vel aliquid huiusmodi est efficax causa rapinæ. Vnde tunc solum consiliator, & palpo seu adulator tenetur ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, iniustam accptionem ex huiusmodi causis subsecutam fuisse. Verum ad maiorem horum explanationem.

Addendum est 1. eum non teneri ad restitutionem qui delictum ipsius nomine factum ratum habet: quia ratificatio superueniens damno, non potest esse causa efficax illius. 2. neque eum qui parato furari decem, consulit vt fureretur tantum quinque; quia ille non est causa minoris damni, sed maius amouet: adeoque negotium damnificati vtiliter gerit. 3. consentientem teneri ad restitutionem, quando damnum secutum ab eo pendet, non autem si tantum in eo ex odio, vel inuidia complaceat. 4. palpantem etiam teneri, non tantum quando laudando, vel exprobrando directè intendit mouere aliquem, ad damnum alteri inferendum, sed etiam quando solum indirectè ad hoc mouet: si cogitauit, aut cogitare debuit de damno inde sequuturo. 5. receptatorem malefactoris teneri ad restitutionem, quando eum recipit formaliter, vt talem, conseruando prædam, vel secu-



DE IVSTITIA. CAP. V. 115  
titatem præbendo; non autem si eum tantum recipiat materialiter, vel tanquam amicum, vel ut aliqui lucretur ex hospitio, aliaue ex simili causa. 6. teneri etiam participantem, qui tribuit arma, aliaue instrumenta illi, qui vult ijs uti, in damnum proximi. 7. cooperantes negativè ad damnum proximi, id est, illud ex gravi negligentia non impediens, teneri ad restitutionem; quando ex iustitia illud cauere debent, & possunt sine graui detrimento. Hoc autem tripliciter contingere potest. Primò, si quis sit mutus, id est, si omittat loqui consulendo, præcipiendo, aut clamando quando ad id teneretur. Secundò, si quis non obstat, id est, si fauorem, vel auxilium ad damnum impediendum necessarium deneget. Tertio, si non manifestet malefactorem, vel ad damnum impediendum, vel ad illud refarciendum.

Quæres, quomodo omnes prædicti teneantur restituere. Respondeo 1. quando singuli sunt causa totius damni, ut dum multi communi consilio deuastant vineam, vel domum incendunt, singulos teneri in solidum, id est, ad restitutionem totius: quando verò non sunt causa totius damni, pro parte teneri. 2. esse tamen in restitutione facienda ordinem aliquem:

nam quando actio est lucratiua, ille primò tenetur restituere, qui rem iniuste acceptam apud se habet, vel mala fide consumpsit: quando verò non est lucratiua, ille priùs tenetur qui mandauit, deinde executor, ac postea reliqui prout magis, aut minùs fuerunt causa damni illati. 3. quando ille qui principaliter tenetur de damno, restituit, alios, qui non nisi accessoriè, seu in illius defectum restituere tenentur, ad nihil teneri. Quando verò restituens non est principalis debitor, superiores debere illi refundere, inferiores autem ab ea obligatione liberos esse. Quia scilicet non tenetur secundus, nisi defectu primi: nec tertius, nisi defectu secundi & sic de aliis.

CONCLUSIO V. Bona incerta, seu quorum dominus ignoratur, interdum à possessore possunt retineri, & aliàs in pauperes sunt eroganda. Certa verò vt plurimum domino suo, aut possessori à quo accepta sunt, restitui debent; quamuis non semper ei restituenda sint.) Hæc ita explico, In primis bona incerta possunt retineri, quando per contractum iustum bona fide acquisita sunt; vt si vendendo aliquid, decem aureos pro nouem accipias, nec possis emptori restituere, quia est ignotus, & antequam errorem

aduerteres, discessit. Si autem per iniustitiam bona illa incerta accepta sunt, in pios usus distribui debent; cum æquum non sit ut quis per iniuriam ditescat. Quod attinet ad res quæ ab aliquo fortuito reperiuntur, si præmissa diligenti Inquisitione, earum dominus non compareat; quamvis tutius sit eas pauperibus erogare, non tamen id est necessarium, sed ab inventore retineri possunt, ut fert probabilis sententia.

Deinde, quòd bona cetera ut plurimum domino suo, - ut iusto possessori restituenda sint, per se notum videtur: siquidem iustitiæ commutatiuæ æqualitas exigit, ut quisque tantum habeat, quantum habere debet. Quo fit ut depositario, conductori, administratori, &c. restituenda sint quæ ab iis accipiuntur; quia ad ea retinenda ius habent, quo priuari non possunt, sine iniustitia.

Tandem nonnulli sunt casus, in quibus non tenetur debitor restituere suo creditori. Verum hac de re commodius agetur conclusione vltima, ubi trademus causas varias, ob quas ex communi sententia, restitutio differri, vel etiam omnino omitti potest.

Quæres I. quo tempore restitutio facienda sit. Respondeo I. debitorem ex

contractu, teneri ad restitutionem tempore condicto, & si culpabiliter sit in mora, teneri ad compensationem damni, quod ex solutionis dilatione oritur. 2. debitorem ex delicto, teneri ad quam primum restituendum, si potest, ex S. Thoma quæst. citata artic. 8. quia præceptum restituendi, seu non retinendi alienum, est negatiuum, quod proinde obligat pro semper.

Quæres 2. quo loco restitutio facienda sit. Respondeo 1. si obligatio oriatur ex contractu, restitutionem debere fieri in loco, qui in contractu exprimitur: aut si nullus locus exprimitur, in eo in quo res accepta fuit, quia talis locus videtur designatus ad restitutionem. Unde si equum Lutetiæ conduxisti, & duxisti aliò, teneris tuis sumptibus Lutetiam reducere, ibique restituere. 2. rei bona fide possessæ restitutionem debere fieri in loco, in quo reperitur; ita ut si aliò sit transferenda, id non restituentis, sed domini sumptibus faciendum sit. 3. quando res mala fide possidetur, eam restituendam esse in loco, ubi dominus illam possideret, nisi esset ablata; adeoque expensis restituentis eò transmittendâ esse, deductis deducendis. Quia scilicet cui illa res per iniuriam ablata est, ex æquitate iustitiæ

SECTIO III.

*Quomodo facienda sit restitutio, vel  
differenda & ommittenda.*

CONCLUSIO I.

**Q**Vando bona debitoris non sufficiunt,  
ad satisfaciendum omnibus credi-  
toribus, ordo aliquis in restitutione fa-  
cienda seruari debet.) In primis soluen-  
da prius sunt debita certa, quam incertas;  
siquidem æquitas ipsa naturalis postulat,  
vt prius auertatur damnum personæ cer-  
tæ & notæ, quam incertæ & ignotæ.  
Præsertim quia cum creditor incertus  
est, restitutio fieri debet pauperibus, qui  
longè minus habent ius in bona illius,  
quàm habeat creditor certus in bona quæ  
ipsimet debentur. quæque illi restituen-  
da sunt. Si tamen res debita creditori  
incerto, extat eadem numero, vt equus,  
aut liber, &c. ab ea restitutio incipienda  
est: quia debitor tenetur creditoribus cer-  
tis satisfacere, ex bonis propriis, non ex  
alienis.

Secundò, inter creditores certos, ille præferendus est, qui creditò vendidit rem, quæ adhuc extat apud emptorem. Quia ab æquitate alienum videtur vt eiusmodi res, nondum soluto pretio extans, potiùs tribuatur alteri, quàm venditori. Maximè quia venditor censetur tacitam quamdam hypothecam habere in rem illam, donec ipsi satisfiat.

Tertio debita orta ex contractu oneroso, priùs solui debent, quàm orta ex contractu gratuito, nempe donatione, legato, &c. quia maior fieret iniuria, si priora debita negarentur, quàm si posteriora. Vnde si bona testatoris non sufficiunt, ad soluenda debita contracta per emptionem, soluenda sunt quæ titulo emptionis debentur Præferendæ tamen sunt moderatæ expensæ funeris, & quædam aliæ adiunctæ.

Quartò, habens creditores hypothecarios, seu quibus bona ipsius sunt obstricta, seu hypothecata; & chirographarios, seu qui solam personam obligatam habent, priùs soluere debet illis quàm istis. Ideo enim bona alicui obligantur, vt ex iis fiat solutio, si aliter debitum solui non possit.

Quintò, quando res pluribus hypothecata,

cata,

cata, non sufficit ad soluendum omnibus, tunc ille regulariter præferendus est, cui prius tempore fuit hypothecata, iuxta vulgarem regulam illam; iuris qui prior est tempore, potior est iure. Interdum tamen posterior tempore præfertur, vt si res hypothecata, pecunia ab illo mutuò accepta, fuit empta, aut constructa, vel conseruata, aliisque de causis, de quibus Iuristæ agunt.

Sextò, post solutionem creditoribus hypothecariis factam si quid ex bonis debitoris superest, soluenda sunt debita merè personalia, siue ex contractu oneroso, siue ex delicto orta; neque necesse est, vt in soluendis eiusmodi debitis, aliquis ordo seruetur. Eò quòd bona debitoris non magis sunt obligata creditori ex contractu, quàm ex delicto, aut vice versa. Et aliundè nullo iure statuitur, aliquem ordinem in solutione eiusmodi debitorum seruandum esse.

Excipiendi tamen sunt creditores priuilegiati, illi enim ex priuilegio iuris, habent ius prælationis inter creditores chirographarios, non priuilegiatos; ita scilicet, vt totum debitum exigere possint, antequam quicquam alijs soluatur. Tales sunt Respublica quæ pecuniam alicui credidit, creditor ex causa faneris,

de Iust. F

Sponsa quæ dotem dedit, matrimonio non secuto, &c.

Septimò, non est habenda ratio temporis, inter creditores merè personales; sed si quid, postquam priuilegiatis satisfactum est, ex bonis debitoris superfit, inde pro rata soluendum est, seu iuxta proportionem debitorum. Porro sicut hypotheca, & priuilegium, ita & diligentia in petendo, creditorem facit potiore, etsi alioqui posteriorem tempore. Vnde ex probabili sententia, potest debitor tuta conscientia, & sine obligatione restituendi aliis creditoribus, petenti integrè satisfacere.

Octauò, quando inter creditores, carentes titulo prælationis, vnus est pauper; nonnulli dicunt, debitorem posse, titulo paupertatis, ei priùs satisfacere. Alij verò oppositum docent, nisi paupertas sit extrema, aut saltem grauis; quia cum omnes creditores habeant æquale ius in debitorem, non potest vnus aliis præferri, sine eorum iniuria.

CONCLUSIO II. Restitutio variis de causis differri potest, vel etiam omitti, & quidè differri potest. 1. quando probabiliter timetur, eam creditori grauius fore perniciosam: siquidem, restitutio, vt ait S. Thomas 2. 2. quæst. 62. art.



5. ad 1. ordinatur ad utilitatem eius cui restituitur. Et idem dic similiter, si graue nocumentum sit alteri allatura, quia tunc creditor est irrationabiliter inuitus. Quòd si creditor debitum, quo in proprium damnum, verbi causa, ad fornicandum abusus est, constanter repetat, teneris ex iustitia restituere; quia petit quod suum est. Non tamen si eo abuti velit, ut damnum alteri iniuste inferat, nisi ex negatione solutionis graue aliquod malum tibi immineat.

Differti potest 2. si debitor longè maius damnum in propriis bonis patiatur, ex praesenti restitutione, quam creditor ex dilatione illius; ut si non possit restituere, nisi seipsum vendat, vel infamet, aut nisi vendat rem suam, multò vilius quàm valeat. Quia tunc creditor censetur irrationabiliter inuitus.

Vnde collige conclusionem duarum dubitationum vulgariarum, quarum altera est, an possit debitor licite differre restitutionem, quando nequit restituere, nisi à proprio statu notabiliter excidat. Respondetur enim posse, si status ille licite sit acquisitus, non autem si via iniqua comparatus sit, quia hoc non esset à priori statu decidere, sed potius ad eum reduci.

Alterà, an teneatur scemina cum infamata

miæ nota, aut vitæ periculo suum adulterium manifestare, ne hæreditas æqualiter diuidatur inter filios spurios, & legitimos. Respondeo non teneri, quia recta ratio non patitur, vt vita, & fama quarum illa est bonum supremi, hæc mediij ordinis, periculo exponi debeant, pro bonis infimi gradus; qualia sunt pecunia, & res pecunia æstimabiles.

Differri potest 3. propter extremam necessitatem, tum quia in extrema necessitate est impotentia restituendi, nemo autem ad impossibile tenetur; tum quia tunc creditor censetur irrationabiliter inuitus, tum denique quia in eò maximè casu omnia sunt communia. Imò hoc aliqui extendunt ad grauem necessitatem, quia si ex probabili sententia, licet tunc clam bona aliena surripere, multò magis licet non restituere.

Differri potest 4. propter cessionem bonorum, quia hæc inducit impotentiam restituendi. Ille enim dicitur cedere bonis suis, qui cum nequeat omnia sua debita soluere, bona quæ habet relinquit creditoribus, iuxta debitorum proportionem inter se diuidenda. Quia tamen per eam debita non extinguuntur, sed tantum sopiuntur, manet obligatio restituendi, cum debitor ad pinguiorem fortunam

DE IVSTITIA. CAP. V. 123  
redierit, Qui interim dum cogitur cedere bonis suis, potest aliquid retinere ad suam qualemcunque, & suorum sustentationem.

Potest autē restitutio omitti 1. ob remissionē, seu condonationē siue expressā, siue tacitā debiti, factā à creditore; volenti enim non fit iniuria. Requiritur tamen vt hæc condonatio sit libera, adeoque vt absit ignorantia, metus, aut dolus dans illi causam. Vnde non est liber ab obligatione restituendi, qui fingendo se pauperem, intuitu paupertatis obtinet à creditore remissionem debiti. Videndum etiam, ne eiusmodi condonatio ex iure irrita sit, qualis est ea quæ fit à pupillis.

Potest omitti 2. quando sufficiens compensatio facta est à creditore; quia per illam constituitur æqualitas inter creditorem, & debitorem. Vt tamen talis compensatio licitè fiat, requiritur 1. vt debitum sit liquidum & certum. 2. vt sit debitum ex iustitia. 3. vt creditor alias solutionem illius commodè obtinere non possit.

Potest omitti 3. si quantum debes tuo creditori, tantum soluas creditori illius: sic enim in te transfers ius crediti, quod aduersus illum habet, adeoque

potes, in foro conscientiae, uti compensatione; etsi debita sint diuersae rationis. In foro tamen externo id solet restringi ad debita, quae ex eadem causa proueniunt, ut si debeas Petro centum nummos, pro conductione domus, quam Paulus eodem pretio ipsi prius locauerat.

Potest omitti 4. quando debita sunt incerta, & à summo Pontifice compositio obtinetur. Quia tunc restitutio facienda est pauperibus, ex iure positiuo, in quo summus Pontifex dispensare potest. Si tamen debitor habeat debita certa, tenetur iis satisfacere ex bonis, per compositionem obtentis, quorum iam habet dominium, si aliundè non possit: quia quando propria bona suppetunt, tenetur debitor ex iis satisfacere. Deindè si post obtentam compositionem, appareat dominus bonorum incertorum, ea sunt ipsi restituenda, si extant; vel si non extant, id in quo accipiens factus est ditior.

Superest difficultas, utrum quis propter ingressum Religionis, sit liber ab obligatione restituendi. Respondeo 1. are alieno grauatum non debere Religionem ingredi, si spes sit eum manendo in saeculo, debita quibus obstrictus

est, persoluturum. Ratio est, quia cum debitorum solutio sit iuris naturalis, ea non debet prætermitti propter opus consilij, quale est Religionis ingressus. Confirmatur, tum quia non potest filius ingredi Religionem quando ex iure naturæ suis parentibus succurrere tenetur; tum quia ad cauendam proximi iniuriam, non solent ad Religionem admitti, qui debitis sunt grauati, antequam creditoribus satisfaciant.

Respondeo 2. si contingat eum qui multa debita contraxit, Religionem ingredi, antequam satisfaciat, professionem ab eo emissam validam esse. Illum tamen teneri aliquo artificio, vel labore honesto, quantum Ordinis Regula patitur, aliquid lucrari, vt creditoribus possit satisfacere, nisi ipsi gratis debitum remittere velint. Quia posterior obligatio, etsi teneat, non potest tollere priorem, ex iure ipso naturæ contractam.